

Y₂

Y₃

Y₄

Y₅

Y₆

Y₇

Y₈

Gr. 13. num. 27.

1775.46.

DISSE^RTAT^O
DE
CAVSIS NONNVLLIS
ADVLT^ERII POENAM
MITIGANDI SPVRIIS
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAE^SIDE
ACADEMIAE HOC TEMPORE RECTORE
MOSIA LVDOVICO ERNESTO
PÜTTMANN^O

L. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORD.
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. XVI. NOVEMBR. MDCCLXXV

H. L. Q. C

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A

I O. TRAVGOTT. LEHMANNO
PAVLSDORFFIO-LVSATO

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA



DISSESTITATIO

CASIS NONNALLIS

ADALITRII TOLNAM

17. CHMIGAVNE SPURS

PERGOLA IOTOKA OUDIA VACOGHATA

GRANIS DEDICAT

ACVDENNIE HOC DAPTORI MECOS

1031 AHDQICOTRNESTO

PYLLTTO

1032 ATRODIA MUSCOTTEIC DA

1033 CINAMINTTENAGOTTA

1034 CINAMINTTENAGOTTA

1035 CINAMINTTENAGOTTA

1036 CINAMINTTENAGOTTA

1037 CINAMINTTENAGOTTA

1038 CINAMINTTENAGOTTA

1039 CINAMINTTENAGOTTA

1040 CINAMINTTENAGOTTA

1041 CINAMINTTENAGOTTA

1042 CINAMINTTENAGOTTA

1043 CINAMINTTENAGOTTA

V R I S
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMISQVE
IO. CHRISTOH. LEHM ANNO
SERENISS. ELECTOR. SAXON. SVBCENTVRIONI PRIMARIO
ET LEGIONIS EQVITVM LORICATORVM
BENCKENDORFLAE HOSPITORVM DESIGNATORI

NEC NON

CHRISTIANO LEHM ANNO
SERENISS. ELECTOR. SAX.
A COLLECTIONE VECTIGALIVM FISCI
FRATRIBVS DILECTISSIMIS
LIBELLVM HVNC ACADEMICVM
D. D. D.
IO. TRAVGOTT. LEHMANNVS

V R I S

NOBILISSIMA; VMPRESSISSIMA;

IO. CHRISTIANO LEHMANNO

SPIEGEL DER THEOLOGIA SACRAE; ET HISTORIA MONUMEN-

ET-EGIOTIS BOSTONIENSIS LIBRARIÆ

DISCOURSES OF THE CHURCH OF NEW ENGLAND.

BY JAMES

CHRISTIANO LEHMANNO

COLLECTED AND EDITED BY

A. COLLIGITIONE ACQUAERITATE PRAE-

TATRIAS DILECTISSIMIS

LITERATURO HINC ACQUAERIMUS.

...

JO. TRAVOTÆ LEHMANNI

Nemo facile tam rufis et barbarus est, qui cum relat-
tum legerit, fuisse quondam Equitem Romanum, nomi-
ne Proculium, qui postquam mortuo patre cum fratri-
bus patrimonium diuiserat, hi autem bello civili bonis
omnibus spoliati erant, ut leniret calamitatem eorum,
iterum cum ipsis omnes facultates suas partiretur, qui,
inquam, haec legens haud exclamat: *O factum pul-
chrum! centum triumphis pulchrius! quo de verissime Ho-
ratius cecinit:*

*Vivet extento Proculius aeuo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum ager penna metuente solui
Fama superstes.*

*Equis autem similior Proculio est Vobis, Fratres ca-
rissimi, qui me a teneris patris in modum amastis, foui-
stis, nihilque praetermissistis, quod ad me ornandum vla-
ratione pertinere posse videbatur. Omnia profecto ho-*

minum ingratissimus essem, nisi quamcumque Vobis,
quanti beneficia Vesta faciam, ostendendi occasionem
auidissime arriperem. En igitur meae primitias diligen-
tiae Vobis, qui mihi haec otia, ut litteris operam naua-
re hic possim, fecistis, sacras! En grati, Vobisque
deditissimi animi tesseras! Vos modo, quod tam pulchre
coepistis, inchoatum opus hanc relinquite, certissimeque
Vobis persuadete, numquam me commissurum, ut Vos
Vestrorum in me collatorum beneficiorum poeniteat.
Ceterum diu viuite felices, tandemque libris nepotibus-
que multis post Vos relictis sero in coelum opto redeatis.
Scripsi Lipsiae a. d. X. Nouembr. MDCCCLXXV.

V O B I S
VIRI NOBILISSIMI AMPLISSIMI QVE
F R A T R E S C A R I S S I M I

ADDICTISSIMVS
IO. TRAVGOTT. LEHMANNVS.



Vetus querela est, solere saepius homines, haud
secus ac praetor olim Romanus, nomina mu-
tare, vitiaque virtutum vocabulis exornare au-
daculos. Quid enim, si in vitas hominum in-
tuearis, frequentius videoas, quam seueritatem pro saeuitia,
parsimoniam pro avaritia, supplicia disciplinam, adulteria
denique dulcia furta falsis nominibus appellari? Quoties
quaeso non

— *vitiis — vocabula relli*

Indimus, et parci cognomen sumit avarus?

et quis verum expertus haud est, quod **M A N I L I V S** *V. 154.*
aut:

Naturae pudet, atque habitat sub pectore coeca

Ambitio, et morbum virtutis nomine iactant.

Quodsi



Quodsi autem interdum propter nimiam virtutis vitiorumque diuersitatem hac non succedit via, mox aliam ingressi admodum sunt ingeniosi in excogitandis nouis sceleris extenuandi causis, quo saltem sic excusati peccasse, neque horribili flagello, sed ad summum scutica digni esse videantur. Evidem fallor, aut idem in adulterii maxime accidit criminе, quippe quod a multis tam putatur esse pusillum, totiesque iustum effugit poenam, ut haud iniuria verius illud IV VENALIS II. 37.

— — *Vbi nunc lex Iulia? dormis?*

repetas. Atque hoc eo minus mirandum, quo facilius est, in hoc vitium incidere etiam eos, quos viam virtutis praeire, suoque prodeesse exemplo aliis oportet. Cum enim, vt c. 1. in *Verr.* III. 1. inquit, haud facile ignoscatur ei, qui sibi hoc sumvit, vt corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, si qua in re ipse a religione officii declinarit, quid mirum, si adulterium, cum criminum numero plane eximi haud possit, a multis inter ea saltem referatur, de quibus HORATIVS ait:

Sunt delicta tamen, quibus ignouisse velimus.

Animus mihi haud est omnia in praesenti referre, propter quae poenam adulterii temperandam esse, vulgo existimatur. Longa enim est fabula, neque haec charta tot argumenta ingeniose, si diu placet, excogitata caperet. Facile autem, ni animi fallimur, latiri veniam sumus, si nonnulla saltem, quibus perpensis de aliis similibus iudicium ferri haud difficulter possit, speciminis loco proponamus.

Ac



Ac primum quidem semper mihi displicuit, quod contendit WERNHERVS *Enunciat.* II. 442. quando scilicet vxor adultera cum duobus coierit, cum priore autem delictum haud consummauerit, ad poenam mortis deueniri haud posse; neque enim huic locum esse ob adulterium prius, ut pote haud consummatum, neque propter posterius, licet perfectum, quia per priorem coitum, cum alio viro exercitum, vinculum matrimonii vxorem inter et maritum iam ruptum intelligatur, adeo, ut illa deinceps re ipsa feminae solutae instar esse cooperit, neque cum viro soluto adulterium propriè sic dictum admirere potuerit. Nititur enim illa sententia falsa hac persuasione, ac si matrimonium adulterio ipso iure solvatur, quod tamen neque legibus neque rationi iuris consentaneum esse, iam obseruauit Ill. G E O. L V D. BOEHMERVS in *Princ. Iur. Can.* §. 437. idque propere, quod ex adulterio, tamquam violatione fidei coniugalis, oritur tantum ius a societate coniugali recedendi, si eo vii velit pars laesa, nequaquam autem huic, si ferre cornua ipsi volupe sit, necessitas ab vxore diuertendi imposita est. Et quid, nonne, si WERNHERI sententiae subscribimus, ipsas leges in potestate facinorosorum redigimus? Quid enim facilius erit prostratae mulieri pudicitiae, quam ad euitandam iustum adulterii poenam criminis nouum addere crimen, priusque, ut deinde excusatus peccet, haud consummando leges turpiter eludere? Nonne ita quasi mercedem scelerum fert, et potestate gaudet, sibi ipsi impunitatem conciliandi, aut repetitione criminis saltē efficiendi, ut leuiori tantum poenae locus relinquatur? Magis igitur mihi placet, quod scribit PETR. DE GREVE *Exercitat.* ad Pandect. p. 615, quando scilicet mulier, marito non deserto, clam pudicitiam prostituerit, atque tam caute egerit, ut pro honesta

B

nesta



nesta persona haberetur, nullam rationem apparere, quae adulterum excuset; sed si vxor marito deserto passim, et sine delectu, more meretricum vulgo se praebuerit, tunc adulterii crimen in ea cessare. Ita enim legimus in l. 22. C. ad L. Iul. de adulter. Si ea, quae stupro tibi cognita est, et passim venalem formam exhibuit, ac prostitutam meretricio more vulgo se praebuit, adulterii crimen in ea cessat.

Secundo loco hic memoranda venit eorum opinio, qui propter imperium domesticum poenam adulterii in famulis mercenariis mitigandam censent. Ita sane sentit AVG. LEYSERVVS Sp. 580. Med. 8. atque a Scabinis Vitembergens. aliquando his verbis pronunciatum esse scribit:

dass Inquisitin des eingestandenen Ehebruchs halber, weil sie von ihrem Dienstherrn geschwängert worden, mithin durch das imperium domesticum in etwas entschuldigt wird, mit der ordentlichen Strafe des Staufen-Schlags zu verschonen, jedoch mit Ruten im Gefängnisse zu züchtigen, und des Landes auf ewig zu verweisen.

Siccine igitur vim suam apud nos perdidit verus illud praecep-
tum: *Plus De o pareto, quam hominibus?* Itane mentitus est
PAPINIANVS in l. 15. D. de cond. inf. Quae facta laedunt
pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et, ut genera-
liter dicerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse cre-
dendum est, nec non IVVENALIS VIII. 81.

— Phalaris licet imperet, vt sis

Falsus, et admoto dicet peruria tauro,

Summum

■ ■ ■

Summum crede nefas animam praeferre pudori,

Et propter vitam viuendi perdere causas.

Ait quidem **P A V L V S** in l. 169. *D. de R. I.* *Eius nulla culpa est, cui parere necesse sit.* Sed praeterquam quod haec verba ad delicta publica haud pertinent, (vid. **RAEVARDVS** ad h. l. Oper. p. 385.) quis quaeso ancillulae necessitatem parendi domino ad stuprum vocanti imposuit? Bene **V L P I A N V S** in l. 157. *D. eod.* *Ad ea, quae non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, ignoscitur seruis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt, veluti tutoribus et curatoribus, obtemperauerint.* Et quis denique discrimen, quod seruos Romanorum nostrosque famulos mercenarios intercedit, haud intelligat? Apposite **C A L L I S T R A T V S** (quamquam alia in causa) in l. 15. §. 3. *D. de Leg. Corn. de falf.* *Videri ipsius domini manu scripta, cuius voluntate ea scripta sunt.* Quod tamen ad liberas personas, in quas nullum ius testator habuerit, extendi non debet. Sane, si ita perrexerimus, indiesque nouas poenae adulterii temperandae causas excogitemus, illicet, actum est de tota lege Iulia, breuique nihil restabit, nisi vt vterque et *D.* et *C.* ad hanc legem titulus cum constitutionibus, quae eo pertinent, omnibus quantocvus deleatur. Ceterum, quod de adulterio diximus, idem, et multo quidem magis, de incestu etiam dictum volumus, ea tamen legi atque conditione, vt liberi sint suae aeratis, et honestum a turpi, licitum ab illlicito discernere possint.

Tertia species, cui hic locus dabitur, haec esto. Maeius, iuuenis fame pressus et egestate, vxorem ducit anum diuitem, sed ineptam, fatuam, lippam, caluam, elidam, gibbosam, claudam, rugosam. Quis quaeso mirabitur,



rabitur, si audierit, ipso nuptiarum die maximum non
marito erga Iunonem suam taedium enatum esse, adeo ut
libenter, si licuisset, ad statum pristinum rediisset, et cen-
ties esurire, quam semel tali feminae accubare maluisset.
Sed iacta erat alea, neque viam, quam semel inierat, redi-
re licebat. Quid igitur? leuamen miseriis quaerens ancilla-
riolus fit, et quod domina praestare haud poterat, apud
seruam solatium quaerit. Quam cum frustra haud rogasset,
vixque nouem mensibus praeteritis parvulus ei luderet Aeneas,
adulterii postulatus absque ambagibus confitetur,
quod negare haud poterat, factum. Idem vero ad L E Y-
S E R V U M Sp. 580. Med. 15. et 23. iam prouocat, vbi decre-
toria haec, nulla licet suffulcita lege, verba perscripta sunt:
*decrepita coniugis innocentis aetas poenam adulteri mitigat, et si
uxor ei remittere haud vult, iudex ex officio poenam adulterii
temperat.* Amoris ait impetum se sustinere haud potuisse,
quantusque hic sit a IVSTINIANO nos discere iuber,
quippe qui in Nouell. 74. c. 4. ita scribit: *Nouimus, licet ca-
stitatis amatores simus, nostrisque subditis haec fanciamus, nihil
tamen furore amoris esse vehementius, quem cohibere accurate est
philosophiae, quae admoneat, et lascivientem atque inquietam
concupiscentiam contineat.* IVSTINIANO denique addit
CLAVDIANVM Epigr. 39. de paupere amante ita canen-
tem:

Paupertas me saeva domat, dirusque Cupido.

Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

Haec omnia autem haudquaquam me mouent, ut pa-
rulas ei aures praebeam, et vel tantillum ipsi indulgendum
esse

13

esse censem. Quis enim illum coegerit, ut, cum alia, eaque honesta ratione vietum quererere posset, anum ducendo necessitatem ab aliis mulieribus abstinendi sua sponte sibi imponeret? Quemadmodum stultus est, qui emturus equum non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frenos, sic stultissimus profecto est, qui vxorem ducturus, antequam hoc faciat, qualis quantaque illa sit, haud inuestigat. Eleganter PARMENON in *Antholog. graec.*, a B. IO. IAC. REISKIO edit. p. 257.

Λιμὸς καὶ γραίης χαλεπὴ ποίσις. ἀγραλέον μὲν

Πεινῆν, καὶ ποτῆ δέσ' ὀδυνηφοτέρα.

Πεινῶν ἔνχετο γραιῦν, ποιμάνενος ἔνχετο λιμὸν

Φυλᾶς. ἵδι ἀκλήρες παιδὸς ἀνωμαλῆν.

Difficilis inter famem et anum optio. durum quidem est esurire, at multo acerbius cum ani dormire. Quum adhuc esuriret Phyllus, optabat sibi coniugium diuitis anus contingere, cui ex quo accubat, optat pristinam egestatem. Vide mihi quaeso infelicitis iuuenis inaequalitatem! Quam recte igitur sese habeat responsum a LEYSERO l.c. memoratum, quo adultero propter senium vxoris non nisi relegationis poena irrogata fuit, ii, qui pedibus in eius sententiam eunt, ipsi viderint. Optime maiores nostri sine lege loqui nefas existimabant, legibusque exceptiones, ab ipsis auctoribus haud profectas, addere religioni sibi ducebant. Sed ehen! quantum quaeso nos hodie ab illorum consuetudine desciuimus, haud cogitantes, quod bene monet SYMMACHVS Lib. X. Ep. 70. aliam esse conditionem magistratum, quorum corruptae videntur sententiae, si sint legibus mitiores: aliam Principum potestate



statem, quos seueri acrimoniam iuris subinde inflectere de-
bet. Ceterum sapienter nonnullis in regionibus (vti in Lu-
sitania anno huius seculi sexagesimo nono factum esse per
litteras publicas accepimus,) sanctum legibus est, ne mulie-
res annum aetatis quinquagesimum iam egressae ad nouas
nuptias prouolent, idque eam ob causam, quod experientia do-
cuit, saepe fieri, vt cum iuuenibus nubant, non modo in-
felicia existant matrimonia, sed mariti etiam bona vxorum
magno cum totius familiae incommodo dilapident. Et quis
nescit, iam apud Romanos nuptias sexagenariorum et quin-
quageneriarum haud semper permittas fuisse, qua de re, eo-
que pertinente *Lege Iulia et Papia*, nec non *SCTis Persicano*
et *Claudiano*, videsis *HEINECCIVM ad Leg. Iul. et Pap.*
Popp. II. 3. PERIZONIVM ad Leg. Vocon. p. 181. HENR.
IO. ARNZENIVM Miscellan. I. 7. et CONR. PHIL.
HOFFMANNIVM de matrimon. sexagenar. cyp quinquogenar.
Sed haec quidem in praesenti sufficiant; reliqua alio tempore
persequemur.



Lipzg, Diss., 1775 K-2



VDT8



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

Fr. 13. num. 27.

177546

DISSERTATIO
DE
SIS NONNVLLIS
ALTERII POENAM
MITIGANDI SPVRHIIS
IS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
ADEMIAE HOC TEMPORE RECTORE
LVDOVICO ERNESTO
PÜTTMANNO
T. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORB.
C NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE
XVI. NOVEMBER. M D C C L X X V
H. L. Q. C
D DISCEPTANDVM PROPOSITA
A
AVGOTT. LEHMANNNO
PAVLSDORFFIO-LVSATO

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA

